



asp

11

no

714g

18  
DE  
CORDE PHARAONIS  
QVOD DEVS OBDVRASSE DICITVR  
EXOD. IV. 21.

PAVCA QVAEDAM DISSERIT,

SIMVLQVE

VIRO PLVRIMVM REVERENDO,  
DOCTISSIMOQVE,

DOMINO

M. ADOLPHO BOGISLAO  
GRV LICHIO,

PASTORI ADIVNCTO APVD LINTHOËNSES  
OPTIME MERITO,

DE SACRO HOC CLEMENTISSIME  
DEMANDATO OFFICIO  
GRATVLATVR

M. GOTTLOB FRIDERICVS NICOLAVS  
WOLLE,

PAST. WESENIGENS. ET LOSSEWIGENS.

---

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIIS,  
MDCCLVI.

DE  
CORDE PHARAONIS  
QVOD DEVS ORDVASSE DICITVR  
EXOD. IV. 24.  
FALCA QVAEDAM DISSERIT  
SIMVLQVE  
VIRO PERVIXVM REVERENDO  
DOCTISSIMOQVE  
DOMINO  
M. ADOLPHO BOGISLAO  
GRALICHO,  
PASTORI ADIVICTO AVD. LINTHOENSI  
OPTIME MERITO,  
DE SACRO. HOC CLEMENTISSIME  
DEMANDATO OFFICIO  
GRATVLTAR  
M. GOTTFRIEDRICHUS NITZSCH  
WOLFF,  
PAST. WESNIGENS ET LOM. WIGENS  
MDCCLVI



S. I.

**Q**uaelibet religio suum habet principium, quod tanquam certum & infallibile supponitur, licet non raro sit maxime incertum, dubium, immo falsum, ex quo, tanquam origine, cetera dogmata deducuntur, & reducuntur. Romano-Catholicorum religioni qui addictos se profiterentur, infallibilitatem fallibilis Pontificis pro principio suae religionis agnoscunt: quae, si stat, infallibilitas, stat quoque res Romanorum, qua cadente cadit. Socinianos rationem, tanquam principium credendi sectari, constat; ad eos denique, qui sunt e castris Calvini, quod attinet, dogma de absoluto Dei decreto, tanquam peculiare suae religionis principium adsumere, ipsi fateantur, *cor ecclesiae* hoc dogma nominantes; pro hoc religionis principio, quod tamen est falsissimum, tanquam pro aris & focis, seu tanquam Hectores pro Troja pugnant: multa argumenta pro sua adstruenda sententia in medium proferunt, desumpta ex ipso sacro Codice; quaedam S. S. effata iis quidem patrocinari videntur, quae tamen, si a fallacis adversariorum vindicamus, pro nostra stant sententia, eorum autem dogma de absoluto decreto falsissimum declarant. Inter alia huc referre solent ea loca, in quibus Deus cor Pharaonis indurasse dicitur: Quoties de Deo haec cordis obduratio praedicatur, tones etiam Pharaon se ipsum indurasse, dicitur: Induratio Deo tributa legitur Exod. IV. 21. VII. 3. IX. 12. X. 1. 20. 27. XI. 10. XIV. 4. 8. 17. de Pharaone se ipsum indurante dicitur Ex. VII. 13. 14. 22. VIII. 15. 19. 32. IX. 7. 34. 35. XIII. 15.

Communissime de Deo cor Pharaonis indurante usurpatur verbum חזק, praeter duo illa loca, quorum uno כבד, altero autem קשה usurpatum legimus, & quidem utrumque verbum in Conjugatione Hiphil. Viri philologiae sacrae periti fat, satis abunde jam demonstrarunt, nil hisce locis inesse dogmati absoluti decreti quod faveat. Mei non est, Interpretum varias circa hæc loca sententias, quas fovent, recensere: neque me cum constitui, omnia ac singula Sfae loca, quae de Pharaone sive se ipsum indurante, sive indurato, agunt, uberius exponere; liceat mihi, in verba Exod. IV. 21. אני אחזק את לבו pro viribus earumque imbecillitate inquirere, & qualemcunque meam sententiam declarare; si quae non satis recte, vel non satis accurate dicta L. B. inveniat, pro humanitate humanitati ignoscat.

§. II.

Qui sensum sanctioris propositionis vult eruere, notiones, quas offert, ante omnia evolvar, necesse est, (per princip. Hermeneut.) has autem notiones evolvere haud possumus, nisi primo omnium terminorum, eorumque significatum curam habeamus. Voces ergo לב & חזק uberius erunt explicandae. לב proprie eam corporis animam partem significat, unde sanguinis provenit circulatio; conf. 2 Sam. XVIII. 14. חזק autem qualemcunque firmitatem, quae corporibus agentibus & reagentibus inest; pro diversitate tamen conjugationum diverso modo; conf. Jes. XLII. 7. coll. 2 Reg. XII. 13. חזק opponitur רפה levis fuit, remisit conf. Exod. XXXV. 3. Cor ergo firmum proprie est, quod sanguinis impetus repellit; sanguis autem modo velocius, modo segnius volvitur ac revolvitur, id quod experientia testatur; hinc varii sanguinis impetus existere possunt: quo majori autem vi sanguinem irruentem cor repellit, eo firmius est. Quilibet autem ex his, quae dixi, faciliori negotio colligere poterit, hoc loco proprias vocum notiones neutiquam esse retinendas; quippe quod nullus, qui tamen ex firmitate cordis adparere debebat, orationis nexus, nec adeoque sensus conveniens se offert.

§. III.

§. III.

Hoc, quod Deus eloquutus est, effatum: ego indurabo cor Pharaonis: praedictiones inter divinas referendum est, quae per eventuum ius respondentium contemplationem illustrari debent: Historiam itaque, quam Exod. IV. & seqq. relata de gignus, quantum huic eloquio explicando inserviet, in compendio quodam nunc sistemus. Deus Optimus Maximus, per ministrum suum, Mosen dico, cujus legationi per mirandos effectus fidem fecerat, Pharaoni denuntiabat, ut populum Israeliticum, in servitute Aegyptiaca tunc temporis viventem, missum faceret: Pharao hac in re dissentiens, summo Numini Divino ipsi per Mosen imperanti, temere resistebat, idque unice operam dabat, ne fieret, quod Deus iusserat. Moses quidem & Aaron Pharaonem iussu divino adeunt, omnia a Deo ipsis praecepta eloquuntur, dicentes: Jubet Jova Israelitarum, ut populum suum dimittas, quo festum ipsi in desertis agant: Quibus Pharao respondet: quis est ille Jova, ad cuius iussum ego dimittam Israelitas? Ego quidem neque Jovam novi, neque Israelitas dimittam. Quid? quod Rex ille Aegyptiorum eo ipso die magistratibus populique exactoribus praeciebat, ne amplius paleam populo ad conficiendos lateres, sicut olim, suppeditarent, sed eam sibi collectum ire ipsos juberent, & tamen eandem, quam hucusque praestaverant, laterum summam ab iis exigerent; nec quidquam de eo deonerarent. Israelitarum praefecti a Pharaonis magistratibus constituti dum valde verberarentur, propterea quod, solita operis lateritii summa non praestabatur, Pharaonem quidem adeunt, cum ipso de injuria, quae ipsis populoque fieret, expostulantes: hi autem tristi vultu a Pharaone digressi, populo proh dolor! renuntiare debebant, nihil ipsis de laterum opere detrahi; Tantum ergo abest, ut populum dimitteret, ut potius maxime graviter cum iis agat. Sic autem Pharao, voluntati Dei imperantis tam temere, tamque tenaciter resistens, occasionem praebat, ut miranda illa phaenomena, taedia ac damna, maxime gravia, quibus Pharao populusque Aegyptiorum ad fiebantur, post haec in dies magis magisque crescerent, quae Cap. VII. VIII. IX. X. XI. XIII. & XIV. relata legimus.

§. IV.

Israelitae populus ut peregrinus recepti erant, conf. Gen. XLVII. 4. Peregrinos autem, si quis jus discedendi iis denegar, laedit, adeoque male agit; Accedit, quod ipse Deus suum de populo dimittendo voluntatem satis satisque significaverit, & verbis, & factis: Deus autem cum sit Ens perfectissimum, quod non nisi bonum, immo optimum adpetit, Pharaon inde potuisset, vel potius, debuisset colligere, se bene acturum esse, dum populum dimitteret, & vice versa male, dum jus discedendi iis denegaret.

§. V.

Taedia sat gravia, cum eo, quod populus detineretur, a sapientissimo illo, ac Potentissimo Israelitarum Deo fuisse connexa, sacra nos docet historia. Qui taedia cum actione quadam connexit, motiva praebet, actionem eam, quam volumus, nolendi: motiva autem cum uno contradictorie oppositorum connexa, fiunt motiva, volendi alterum: Missio & non missio populi Israelitici contradictorie sibi opponuntur: Deus ergo, Pharaoni argumenta, quibus ad populum dimittendum commoveretur, suppeditavit. Argumenta, quae ad bonam actionem suscipiendam spectant, salutaria merito nominamus: Missio populi Israelitici, quam Deus, Ens Summe Bonum praecipiebat, bona erat actio, ad quam volendam, Pharaoni motiva Deus suppeditaverat salutaria; quae autem motiva ipsi a Deo oblata, Pharaon, populum non dimittens, neutriquam admisit, neque admittere voluit.

§. VI.

Homo est Ens, animo intelligente, cum corpore organico unito, praeditum: Ergo intellectu, aequae ac voluntate, & libera quidem, homo gaudet. Animus hominis est vel promptus paratusque, argumenta salutaria, sibi proposita, admittendi, vel nondum nulla argumenta salutaria admittendi pronitas deprehenditur, animum dicimus obfirmatum, (einen harten Sinn) quatenus ejusmodi pronitas, motiva salutaria non admittendi, in habitum dege-

VI 2

88



degenerat, eatenus summus inde oriri potest obfirmationis gradus: Quo usque animus argumenta, s. motiva non admittit, eo usque mutationes, quae alias ex boni malique repraesentationibus proveniunt, non consequuntur: Quo usque ergo animus induratus est, eo usque homo indurati animi bonas, quas Deus commendat, actiones non suscipiet.

In bono quoque sensu dicitur animus obfirmatus, in sacris litteris; e. g. Ezech. III. 8. 9. Frons dura significat studium & constantiam in cultu, divino, adeoque promititudinem ac pronitatem, motivis salutaribus a Deo suppeditatis convenienter agendi. Terminus **פָּדָה**, metaphorice transfertur ad animam, ut & saepe **פָּדָה** metonymice, quia nempe animi imago quaedam in facie & vultu externo conspicitur; Saepius tamen facies dura & frons dura in malo sensu usurpantur de studio, Deum averfandi, Jer. V. 3. Ezech. III. 7. Jer. XLVIII. 4.

Jam me cum non constitui de obduratione unius, vel plurium hominum, a Deo justissima tanquam poena immissa, qua ob peccata maxime gravia, suam, qua alias animi peccatorum emolliuntur, aptique ad bonum redduntur, gratiam penitus hominibus subtrahit, eosque in contumacia sua relinquit, hoc loco sermonem facere: officii ratio potius nunc exigit, ut uberius ex his, quae dixi, ex ponam, quatenus obduratio cordis Pharaonis de Deo summis ejus perfectionibus convenienter praedicari queat.

#### §. VII.

Cum vocum **לֵב** & **קִרְחָה** proprii significatus retineri non possint, inquiramus, necesse est, quid improprie, hoc quidem loco, significant. Cor, unde sanguinis circulatio dependet, & anima simul adesse debent, dum homo in vivis est; quae simul ponuntur, facile mutari possunt per metonymiam; commode ergo **לֵב** animam hominis designare potest. Verbum **קִרְחָה** firmitatem corporibus agentibus & reagentibus inhaerentem innuit (per §. 2.) E-  
jusmodi

jusmodi autem verba in Piel usitata significatum Hiphilicum recipere, viri philologiae S. periti innumeris Sacri Codicis exemplis probatum dederunt. (conf. Danz. Interpr. c. III. §. 84. n. 2. p. m. 92. & 93.) Forma autem Conjugationis Hiphil actionem per tertium suscipiendam, aut susceptam, seu qualemcunque dependentiam innuit, id, quod usus linguae S. satis superque docet.

§. VIII.

Dependet unum ab altero, vel quatenus ab altero actu efficitur, vel quatenus ab altero cognoscitur: (per princip. metaph.) Sensus itaque Hiphilicus vel actualitatem, vel cognitionem alicujus ex altero concipiendam exprimit; actualitas, quae suam habet relationem ad alterum involuit influxum vel positivum, vel negativum, adeoque vel ipsam productionem, vel non impeditiorem: Cognitio vero alicujus ab altero dependere dicitur, quando efficitur, ut cognoscat, quod idem erit, ac declarare: Verbum ergo קִיִּן, quod in prima persona Futuri Conjugationis Piel legimus, significationem induens Conjugationis Hiphil, vario modo interpretari possumus: vel ita: ego ipsam animi Pharaonis indurationem *inducam* s. *efficiam*: vel animi indurationem *non impediam*: vel induratum esse animum, *declarabo*.

§. IX.

In Sfa, cujus Auctor est ipse Deus, Ter optimus Maximus, nihil praedicari potest, quod Deo, auctori, ejusque summis perfectionibus minus conveniat; obfirmationem autem animi *effectivam* malam omnino esse actionem, ex his, quae supra diximus, colligendum est: cujus enim animus obfirmatus est, ille argumenta salutaria non admittit (per §. 5.) obfirmationem efficiens efficit, ut non admittat ejusmodi argumenta, s. motiva: Deus ergo, Eas optimum, non nisi optimum semper adpetens, obdurationem animi Pharaonis neutiquam inducere, seu efficere potuit.

§. X.

Alii quidem interpretes de permissione divina, seu, ut magis accurate loquamur, de non impeditiione hoc de indurato animo

mo Pharaonis dictum intelligi volunt: Sed ego quidem cum iis dissentio: Deum enim Pharaoni motiva sat gravia ac salutaria, ut populum Israeliticum dimitteret, suppeditasse, nullus inficias ire poterit; Deus itaque omnino conatus fuit impedire, ne volitio actionis bonae, dimissionis, dico, populi, omitteretur: non impedire obfirmationem animi est non impedire pronitatem argumenta salutaria non admittendi; quam pronitatem si quis impedire non conatur, simul non vult impedire, ut volitio bonae actionis omittatur; Deus autem tanta taedia cum eo, quod populus detineretur, connectens, omnino impedire voluit, ne volitio bonae actionis, dimissionis nempe, omittatur: Ergo etiam obfirmationem animi Pharaonis impedire conatus est: Minus commode itaque de Deo praedicare possumus, se noluisse hanc indurationem impedire.

S. XI.

Termino itaque פִּינָן significatum *declarativum* tribuamus, necesse erit: Deus nempe motiva sat gravia ad dimittendum populum Israeliticum, adeoque bonam actionem volendam ac suscipiendam Pharaoni offerebat, qui tamen, ea rejiciens, hunc populum nequiquam dimittere volebat. Quo majora autem motiva, populum dimittendi Moses jussu divino Pharaoni, Deo impetranti resistenti, proponebat: quo majoribus taediis ac calamitatibus justissimus Deus Pharaonem, immo omnem Aegyptiacam terram adficiebat, eo luculentius *declarabat*, quantia durities, quanta induratio sit animi Pharaonis! Hoc ergo divinum effatum sequentem in modum interpretari nos debere judico; si quid hac de re judicare valeo: „Ego quidem (Jova Israelitarum) per effectus sane mirandos, quibus Pharaon, ut populum meum dimitteret, commoveri non potuit, declarabo, quod animus ejus sit induratus.“

S. XII.

Deus verborum suorum optimus est interpres: cum enim idem dicat Exod. VII. 3. Ego indurabo cor Pharaonis, statim addit aberiorem effati expositionem: *multa ostenta atque miracula edam*; his ergo miraculis edendis Deus declarare volebat indurationem

B

tionem

tionem animi Pharaonis; quae ergo verba pro mea stant sententia. Hoc quidem loco verbum קָשַׁר & in Conjugatione Hiphil quidem usurpatum legimus; Conjugationem Hiphil significatum declarativum saepe induere, supra §. 7. 8. iam probatum dedimus: quid ergo est, quod impedit, quo minus ejusmodi significationem declarativam verbo קָשַׁר in Hiphil usurpato hoc etiam loco tribuamus? Ego cordis Pharaonis indurationem declarabo: propterea, (ut nempe induratio haec fiat manifesta) multiplicabo signa &c. Ut denique de verbo כָּבַד, quod etiam semel de Deo indurante cor Pharaonis usurpatur, Exod. X. i. pauca quaedam addam. Errant, qui ita ratiocinantur: quo significato sumitur verbum כָּבַד dum de Pharaone, se ipsum indurante, usurpatur, eodem significato sumatur, dum de Deo animum Pharaonis indurante adhibetur. Silentio jam praetero, quod non nisi semel hoc de Deo praediceretur verbum: hoc tantum bene observari vellem, hoc verbum, si de Pharaone praedicatur, in Conjugatione Piel, de Deo autem, in Conjugatione Hiphil occurrere; quae commode significatum declarativum exprimit. Absit ergo, ut ipse Deus cordi Pharaonis induxerit indurationem, ut potius eam non physice, moraliter tamen, impediverit.

Constat, Calvinianos, dum suum de absoluto decreto dogma tueri velint, inter alia ad Rom. IX. 18. provocare; quo loco το σκληρυνειν occurrit: hoc verbo LXX. utuntur, dum Ebraeorum קָשַׁר & חָשַׁר interpretantur. ה & ח sunt litterae unius organi, quae apud Ebraeos facile inter se alternare solent: inde adparet, cur utrumque verbum una eademque gaudeat significatione, *duriter nempe tractare*: conf. Exod. XIII. 15. & Job. XXXIX. 16. quem significatum si τω graecorum σκληρυνειν tribuamus, nil invenient loco citato pro corroborando suo de absoluto Dei decreto dogmate. Haec autem, quae de corde Pharaonis, a Deo indurato, diximus, sufficient.

Ad Te, Vir plurimum Reverende atque Doctissime, Frater in Christo Dilectissime, mea se nunc vertit oratio.  
Tuam

Tuam Humanitatem, æque ac solidam sanctioris doctrinae cognitionem, qua gaudes, cognitam perfectamque habeo: Cognitam autem habet etiam *Senatus*, qui summam rerum sacrarum in Patria curam agit, cui omni obedientiae ac pietatis cultu nos obstrictos confitemur: Heec Tua eruditionis doctrina, quam annuente divina gratia Tibi comparasti, Tuaeque Virtutes, quibus es Decus ac ornamentum Splendidissimae Familiae, dignum Te reddunt sanctioris, quam clementissime nunc Tibi demandati, officii. Ego quidem de hisce Diligentiae ac industriae praemiis, quorum Deus ac Proto-Synedrion dignum Te iudicant, Tecum laetor: laetor cum *Parente maxime Venerando*, quem ego Ephorum meum ac Patronum optimum ad cineres usque veneror: laetor cum *Splendidissima Familia*: Splendeat autem semper! floreatque! Age nunc, Favor ac Amice optime, abi ex terra Tua: ex Domo Paterna in Terram, quam Tibi Deus, omnium rerum Moderator Sapientissimus, nunc ostendit. Parentes optimi, Tuique, omnes, qui Domui *Grulichianae* favent, Amici & ego Tibi comites esse volumus in via, non corpore, sed animo, omniaque Tua vestigia votis ardentissimis prosequi; speramus, fore, ut salvus ac incolumis Auditores Tuos salutare queas! Attolle ibi vocem Tuam, ac *induratos peccatorum animos* argumentis sat gravibus ac salutaribus, quae sacrae litterae suppeditant, divina annuente Gratia emollire, conare: Praedica Nomen Jovae: interpretare eloquia divina, omniaque ea, quae ex Patre Optimo, Summo Doctore, audivisti, Auditoribus expone: & sic omnem da operam, ut Te Deo probum probes operarium, recte secantem veritatis orationem: Deus autem det Tibi *σύνεσις ἐν πᾶσι*, ut tanquam Vir Dei, ad omne, quod facri officii

officii ratio exigit, in dies magis magisque fias idoneus; promptus paratusque: Largiatur etiam Tibi corporis vires, sine quibus tam immensa negotiorum moles sustineri nequit. Sic ergo Deus Ter optimus Maximus hoc, quod suscepisti, manus semper felix faustumque esse jubeat, in summam sui ipsius Gloriam, in reipublicae christianae, imprimis Auditorum salutem, & in Tuam Familiaequae splendidissimae Dignitatem!

Hoc qualicumque specimine, Tibi quod offero, meam erga Te Amicitiam, meam observantiam erga Parentem ad cineres usque maxime Venerandum, qui tam innumera Favoris ac Benevolentiae documenta erga me, meosque jam edidit, meam denique pietatem, qua erga Tuos obstrictum me profiteor, declarare volui; non itaque est, quod dubito, quin pro singulari Tua Humanitate illud accipias, ac dijudices; Persuasum velim habeas, nullam temporis diurnitatem, nullam locorum distantiam, nullam regionum diversitatem meam erga Te amicitiam dissolvere valere; Sic etiam me amplius Tuo Favori ac Amicitiae, Parentisque maxime Venerandi Patrocinio de meliori commendo!

Vale! Fave!



AB: 101940

ULB Halle 3  
002 422 557



Nr. 16 = Handschrift Sb.


Vb 17

Reha ✓









DE  
CORDE PHARAONIS  
QVOD DEVS OBDVRASSE DICITVR  
EXOD. IV. 21.

PAVCA QVAEDAM DISSERIT,

SIMVLQVE  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO,  
DOCTISSIMOQVE,

DOMINO  
M. ADOLPHO BOGISLAO  
GRVLIPIO,

PASTORI ADIVNCTO APVD LINTHOËNSES  
OPTIME MERITO,

DE SACRO HOC CLEMENTISSIME  
DEMANDATO OFFICIO  
GRATVLATVR

M. GOTTLOB FRIDERICVS NICOLAVS  
WOLLE,  
PAST. WESENIGENS. ET LOSSEWIGENS.

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIIS,  
MDCCLVI.